



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

XXXII. De Mansuetudine, & Clementia. Vitriusque officia, & praestantia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

## CAPUT XXXII.

*De Mansuetudine, & Clementia. Utriusque officia, & præstantia.*

1. **U**T iræ impetum mitigēs, necessaria est mansuetudo; ne citrà vel ultra recti limites hac in parte deflectas. Telum naturæ est ira; quo uti licet, eam peccantes arguere & castigare ex officio teneris: cum distat prudentia, tuam vel alienam injuriam debito modo repellendam esse; ne crescat ex impunitate reprobatorum licentia. Crudelis est, tam qui nulli, quam qui omnibus ignoscit. Cum verò, justitia exigente, puniendi sunt rei; mansuetudinis & clementiæ memor esto. Descende ad pœnas tanquam invitus; & talis esto erga peccantes, qualis exitit erga te Deus. Sicut ille sustinuit te, ut meliorem faceret: ita illos sustine, ut corrigantur. Despicias Medicum, si desperas ægrotum. Tam facilis est ægri sanitas, quanta Medici sapientia & benignitas. Vir mitis iracundiæ pelago velut scopulus supereminet, fluctusque impingentes dissolvit; nec pœnâ semper, sed sapius penitentiâ contentus est. Clamat coacto cœtu humani generis, Salvator mundi, *Venite omnes, & discite à me*: non curare infirmos, non leprosos mundare, non cæcis lumen, aut mortuis vitam reddere. Sed quid? *Discite*, inquit, *à me, quia mitis sum*. Ad hoc redeisse videtur omnes thesauros sapientiæ & scientiæ suæ; ut ab eo discamus mites esse. Tanta mansuetudinis præstantia est.

2. Ut mansuetudo iram, sic clementia punitionem moderatur. Illa ad omnes, hæc ad Principes & Superiores pertinet. Ejus enim munus est, mitiorem pœnam, quam jura exigant, irrogare: non ex timore, lucro, amicitia, aliove motivo; sed ex animi lenitate. Non opus est, latera montium abscindere, & in arduo collis vertice arces constituere: saluum Principem in aperto clementia præstabit. Hæc est munimentum inexpugnabile, quæ tutum reddit imperium. Malus Princeps invisus est: quia timetur: & timeri vult; quia invisus est. Quem verò metuunt subditi, oderunt; & quem quisque odit, perisse cupit. Vitæ Regum dominus est, quisquis suam contempnit. Frustrâ se potentiâ munit, qui septus suorum benevolentia non est. Turpia sunt Principi multa supplicia, sicut Medico multa funera. Si Rex continet vim suam, si omnes injurias &

offensiones supernè despicit, si quosdam alienas iræ, neminem impendit suæ, tunc verè se Regem ostendit. Magni animi est, placidum esse atque tranquillum.

## CAPUT XXXIII.

*De Modestia. Munus duplex Studioſitatis, Quæ regula in usu Entrapeliæ servanda.*

1. **M**odestia reliquas animi dotes mirabiliter exornat. Hæc forma honestatis est, & frænum vitiorum. Quamvis sermone ræceas, habitu & gestu te prodis. Argumentum virtutis ex minimis licet capere. Vultus, risus, incessus, & flexus oculorum sæpe hominem ostendunt, qualis sit. Sic vive, ut omnes cognoscant, te ad consortium Angelorum pertinere. Serva decorum in motu omnium membrorum, in gestu, voce, & aspectu; ne quid in his effeminatum & molle sit, ne quid rusticum aut durum. Vera modestia ab animo in corpus, ex interna morum gravitate in superficiem emanat; ut quasi suppellectilem suam mens foris inspiciat. Vir modestus vivum Dei simulacrum est: nam solus ejus aspectus intuentes componit. At hoc quam bonum est, videri & prodesse? Spectat quoque ad modestiam, tui statûs conditionem in vestibus, suppellectili, ornatu domûs, & multitudine servorum non excedere. Animi tui impedimenta hæc sunt: quibus non tu, sed quæ sunt extra te, exornantur. Cur igitur gaudes malo tuo? cur inania miraris, & impedimentorum multitudine gloriaris? Hanc servorum cohortem, quæ latus tuum cingit, rectè dixeris hostilem exercitum, à quo latis cavere non potes. Quid agas nôsse volunt, non quid præcipias. Nihil humiliorum eorum ingressu, nihil progressu insolentius, nihil odiosius egressu.

2. Studioſitatis duo sunt munera: alterum, sciendi appetitum, qui plerumque justo major esse solet, temperare & moderari: alterum, torporem excutere, animique industriam ad necessaria ediscenda excitare. Curiosum homini ingenium dedit natura, artisque suæ ac pulchritudinis conscia, nos operum suorum spectatores genuit, perditura fructum sui, si tam magna, tam clara, tam subtiliter ducta solitudini ostenderet. Sed abutimur naturæ bono, ea curiosè investigantes, quæ utilius ignorarentur. Non ille sapit,